

2^o Nego paritatem; non agitur hic de vi mechanica, sed de vi spirituali, quae aliis legibus regitur; deinde constat, saepe facta historica decursu temporis magis magisque innotuisse vel inquisitione historica vel inventis novis documentis; „commenta quidem hominum delet dies“; sed veritas manet in aeternum.

3^o Dist.: si agitur de fama vulgari — conc.; si de facto certo, illustri publico, quod semper examini subici possit — nego.

7. Atqui saltem testimonium de factis miraculosis reiiciendum est; nam Hume¹⁾ recte opponere videtur, testimonium de facto miraculoso ad summum efficere certitudinem moralem.

Atqui leges physicae repugnantes miraculo efficiunt certitudinem physicam, maiorem morali.

Ergo certitudini physicae utpote maiori credendum est, miraculum non esse factum.

Dist. maior: testimonium non efficit nisi certitudinem moralem per se — conc.; per accidens — nego; potest enim nonnunquam ad physicam et metaphysicam reduci.

Transeat minor per se; posset enim etiam distingui: leges physicae repugnant miraculo, i. e. miraculum non fit secundum leges physicas — conc.; excludit omnes vires physicas et fit *contra* leges physicas — nego; nulla est enim lex physica, quae prohibeat miraculum.

Dist. consequens: certitudo physica excludit moralem, per se, i. e. in se est maior — conc.; per accidens, i. e. si certitudo moralis ad physicam vel metaphysicam reducitur — nego.

8. Atqui certitudo physica semper est maior morali ac proinde eam excludit; nam iure Diderot videtur obicere, non esse miraculum, homines mentiri.

Atqui potius credendum est, miraculum non esse factum, quam esse factum. Ergo potius credendum est, homines mentiri, quam miraculum esse factum.

Resp. 1^o Retorqueo: Non est quidquam extraordinarium, homines mentiri. Atqui potius credendum est, aliquid extraordinarium, e. g. lapides de coelo cecidisse, non esse factum, quam esse factum. Ergo potius credendum est homines mentiri, quam lapides de coelo cecidisse (Meteorsteine).

2^o Dist. maior: Ordinarie non est miraculum, homines mentiri — conc.; nunquam esset miraculum, etiamsi certitudo moralis ad physicam vel metaphysicam reducitur — nego.

3^o Dist. minor: Potius est credendum, miracula non esse facta, quam facta, si non adsunt rationes saltem moraliter convincentes — conc.; si adsunt rationes non solum moraliter, sed saepe etiam physice, immo metaphysice convincentes — nego.)

Appendix:

Sensus naturae communis.

{1. *Notio*: Constat homines tum rudes tum doctos omnibus temporibus ubique terrarum de veritatibus quibusdam consentire, quae neque ex experientia vel externa vel interna, neque ex immediata

¹⁾ Cfr. Disteldorf, l. c. p. 65.

evidentia sive intuitu mentis derivari possunt, sed quoddam ratiocinium licet confusum et indistinctum supponunt et rationibus evidentibus aliunde probari possunt.) Eiusmodi iudicia sunt: existit Deus et mundum gubernat; bonum faciendum, malum fugiendum; erit praemium virtuti, poena vero vitio; suum cuiquetribuendum; parentibus et auctoritati est obediendum; anima humana est immortalis; erit altera vita vel felix vel infelix; est ordo naturae constans; est discrimen essenziale inter viventia et non viventia, nil fit casu, etc. Haec persuasio dicitur oriri ex *sensu naturae communi*.

2. *Natura sensus naturae communis*: Sensus hic non confundendus est cum sensu interno communi sensitivo, neque cum conscientia directa, (quae solum actus internos nobis manifestat; neque cum conscientia morali, quae principia rationis applicat ad modum nostrum agendi neque tam late patet quam sensus communis. Neque consistit in auctoritate humani testimonii, neque idem est ac „sana mens“ (gesunder Menschenverstand), quae cuique propria est neque locum habet, nisi hic et nunc agendum sit. Neque est ille sensus communis distinctus ab aliis facultatibus mentis, quem Reid statuit, ut inde assensum in veritates evidentes explicet, qui simul sit criterium universale veritatis; cui sententiae etiam Cartesiani, Leibnitziani, necnon Balmes, non recte sentientes de criterio universali veritatis, aliquo modo adhaerebant.) Sed ille *sensus naturae communis est ipsa ratio nostra, in quantum est naturaliter disposita, ut quasdam veritates vitae humanae maxime necessarias magna cum facilitate et quasi sponte apprehendat*; non quod illae veritates sint nobis innatae, sed quia facili argumento nobis probantur. (Unde homines etiam rudissimi et ferocissimi assentiuntur his veritatibus non caeco quodam instinctu, sed propter earum intrinsecam evidentiam, confuse et indistincte, implicite quidem, certo tamen cognitam. Ac proinde sensus naturae communis non constituit novum fontem cognitionis ab intellectu distinctum, sed est idem ipse fons secundum specialem aliquam rationem.

3. *Obiectum*: Sensus naturae communis obiectum non sunt quaecunque veritates, de quibus homines consentiunt, ortae sive ex experientia, e. g. mundus existit, sive ex intellectu, e. g. $2 + 2 = 4$; unde Reid et alii obiectum sensus naturae communis plus iusto extendebant. Sed proprium eius obiectum sunt illae veritates, quae necessariae sunt ad vitam privatam civilem, moralem, religiosam eiusque quasi fundamentum constituunt, ut ex exemplis supra allatis apparet. Unde) signa harum veritatum sunt:

a) Ut persuasio de eis sit *spontanea*, i. e. ut fiat natura rationali duce et magistra, non ex praevia aliqua institutione vel doctrina; neque ex experientia externa, licet neque institutio humana neque

experientia vel ut conditio vel ut occasio ad mentem excolendam necessaria excludatur.

b) Ut persuasio illa sit per se *universalis*, saltem moraliter: (neque enim requiritur, ut in omnibus individuis, immo neque in omnibus populis inveniatur, si aliunde constat, illa individua vel gentes per accidens, i. e. nimio vel defectu vel excessu culturae depravatas ordinem naturae rationalis non servasse, sicut ex hominibus insanis status hominum naturalis et normalis cognosci nequit.

c) Ut sit *uniformis* et constans, ad hoc autem non requiritur, ut homines in omnibus etiam accidentalibus consentiant, e. g. de natura Dei, sed ut consensus sit de essentia veritatis, e. g. existentia ipsa entis supremi.

d) Ut sit *rationalis*, i. e. ut conformis sit veritatibus aliunde certis, ita ut decursu temporis crescente cultura non extinguatur, immo magis magisque confirmetur.

I. Existit sensus naturae communis.

Prob. 1. Ex existentia persuasionis universalis: Conscientia nostra et experientia quotidiana et historia et testimonium eorum, qui vitam et mores gentium ferocium cognoscunt, docent, quasdam esse veritates, praesertim supra indicatas, quas omnes homines omnis conditionis omni tempore ubique terrarum, quorum natura vel mores nondum prorsus sunt depravata, admittunt et sine ulla haesitatione affirmant, (ad quas recurrunt, si necessitas aliqua urget, e. g. si est operandum, si virtus observanda, vel vitium fugiendum, si dolores vel etiam mors perferenda, si numen colendum, si obedientia legibus praestanda, ita tamen ut rationem claram et distinctam intrinsecam huius persuasionis saepissime reddere nequeant.) *Atqui* haec persuasio universalis, constans, uniformis debet habere causam quoque constantem, universalem, uniformem, i. e. causam per se. Iam vero eiusmodi causa per se nulla potest esse nisi ipsa natura humana rationalis, quae sola est ratio universalis, constans, uniformis, ubique et semper eadem; nam omnes aliae causae cognitionis sunt accidentales neque eadem pro omnibus hominibus. *Ergo* existit sensus naturae communis, neque potest esse aliud nisi ipsa natura rationalis, in quantum in omnibus hominibus disposita est ad haec iudicia sponte et facile formanda.

(2. *Per exclusionem:* Si iudicia illa non ex causa per se, i. e. ex ipsa natura rationali orientur, deberent ex causis accidentalibus derivari. *Atqui* eiusmodi causae accidentales non possunt admitti in omnibus hominibus et omni tempore. *Ergo* . . .

Prob. minor: Nam illae causae non possunt esse: a) *vana praedicta*, metus, pravitas, superstitio, somnia etc.¹⁾ Nam hae causae omnes vel non inveniuntur in hominibus et gentibus sive rudibus sive etiam maxime excultis, e. g. Romanis, Graecis, vel saltem non apud omnes, et diversissimo omnino modo apud singulos homines vel gentes apparent; iudicia vero illa sensus communis ubique et semper eadem sunt.

b) Neque *revelatio divina*, quae, licet admittenda sit, non tamen est causa universalis et constans illarum veritatum; nam testante conscientia et experientia et historia homines iudicando non provocant ad revelationem, sed ad naturae humanae ipsius testimonium, et persuasio illa invenitur etiam apud gentes, in quibus nulla est cognitio vel traditio revelationis olim factae.

c) Neque *consensus hominum*; nam hic consensus est *effectus* illius persuasionis, non causa; neque semper est signum sensus communis, siquidem potest esse consensus hominum ex alio fonte ortus, e. g. ex evidentia immediata, vel ex experientia; immo potest esse ex fonte erroneo, e. g. persuasio hominum de cursu solis olim universalis ex falso iudicio de perceptione sensuum.

d) Neque *educatio* vel *fraus legislatorum*; nam educatio et leges *supponunt* iam persuasionem de his veritatibus, ut possint hoc fundamento inniti; et deinde cum educatio et legislatio sit diversa apud singulas gentes, non potest esse causa universalis, constans, uniformis.

e) Neque *evidentia immediata*; nam illae veritates plerumque non sunt immediate notae, neque sunt obiectum ullum immediatum experientiae vel externae vel internae. Neque vero oriuntur ex evidentia *mediata explicita et clare* perspecta ope ratiocinii formaliter instituti; nam etiam homines rudissimi et gentes maxime feroces, qui ne suspicantur quidem leges logicas adesse, de his veritatibus sunt certi; immo maiorem saepe persuasionem habent, quam homines philosophi. Vide quae Cicero²⁾ et Plutarchus³⁾ de persuasionem omnium gentium, Deos esse et colendos esse, dicunt.

Ergo causa sola huius persuasionis est natura rationalis humana; unde bene Cicero⁴⁾: „Nec vero id conlocutio hominum aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. . . . Omni autem in re consensus omnium gentium lex naturae putanda est.“

¹⁾ Cfr. Borchert, Animismus, Freiburg i/Br, 1900. ²⁾ Tuscul. I, 13: „Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cuius mentem non imbuet deorum opinio.“ Cfr. de natura deorum I, 28. ³⁾ Advers. Coloten Epicuraeum; vide Liberatore, Inst. philos., 1876, II, 393. ⁴⁾ l. c.

3. *Ex providentia divina*: Deus vel saltem natura debet illis providere, quae vitae humanae sociali, morali, religiosae necessariae sunt; immo plus debet illis necessitatibus providere, quam naturae physicae, quia illis finis hominis continetur eiusque perfectio. *Atqui* illae veritates, quas tribuimus sensui naturae communi, omnino necessariae sunt, quum sint fundamentum familiae, societatis, religionis. *Ergo* Deus sive natura debuit nobis conferre facultatem naturaliter dispositam et expeditam ad illas veritates facile cognoscendas.

Quod eo confirmatur, quod natura nostra corrupta iam disposita est ex se ad sensuum fallacias et voluntatis pravas inclinationes sequendas. Necesses igitur erat, ut Deus nobis quasi aequipondium concederet disponendo rationem, ut facile et certo illas cognosceret veritates. Secus enim Deus melius bestiis providisset, qui instinctu suo immediate apprehendunt, quid ipsis conveniat vel noceat tum ad individuum tum ad speciem conservandam, qui quidem instinctus per se nunquam fallit et miro nonnunquam modo operatur, e. g. aves autumnum in regiones alias transmigrantes.)

II. *Sensus naturae communis non est facultas ab intellectu realiter distincta.*

Prob. 1. Ex obiecto formali intellectus: Est axioma: Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. *Atqui* nulla est necessitas, sensum proprium statuendi, ad quem pertineant illae veritates omnibus certae, ut Reid cum suis putat; nam intellectus percipit, quidquid habet rationem veri, quod est eius obiectum formale. Iam vero illa iudicia naturalia habent rationem veri, immo possunt probari et probantur eodem modo ac ceterae veritates. *Ergo* pertinent ad obiectum intellectus, ac proinde sensus naturae communis non realiter distinguitur ab intellectu.

2. *Ex absurdis*: Si sensus naturae communis esset facultas realiter distincta ab intellectu, illae veritates deberent caeco instinctu, sive fide quadam naturali admitti. *Atqui* hoc a) repugnat conscientiae nostrae, quia illis adhaeremus propter rei ipsius obiectivam necessitatem, non propter subiectivam affectionem; b) tunc destrueretur certitudo fundamenti vitae nostrae socialis, moralis, religiosae, quod omnino repugnat. Unde enim tunc certi essemus de his veritatibus? Per intellectum? sed ipse eas non attingit. Per ipsum sensum naturae communem, i. e. per fidem naturalem? Sed esset petitio principii. Quis nos certos reddit, naturam nos non fallere, nisi sit obiectiva rei evidentia? *Ergo* sensus naturae communis non est facultas realiter distincta ab intellectu, sed ad summum ratione differt, in quantum intellectus ex natura sua magis dispositus est et expeditus ad illas veritates cognoscendas quam ad alias. — Non negatur, Deum posse conferre dispositionem realem rationi nostrae super-

additam naturalem vel posse concurrere auxilio aliquo actuali ad modum gratiae praeternaturalis ad iudicia illa formanda; sed negatur nova facultas praeter rationem statuenda.

3. *Per exclusionem*: Ratio, cur realis distinctio inter intellectum et sensum naturae communem statuenda esset, posset esse illa facilitas et certitudo, qua omnes homines et rudissimi illas veritates cognoscant, alias autem veritates, quamvis per se magis obvias, immo saepe immediatas, vel non cognoscant, vel tardius apprehendant, et quia rationem distinctam suae persuasionis reddere nequeant. *Atqui* haec facilitas et certitudo simul cum obscuritate quadam cognitionis coniuncta alio modo melius explicatur: a) ex ratione aliqua obiectiva, sc. divina providentia, quae debuit naturam rationalem ita instituire, ut omnes vitae nostrae finem et media ad finem necessaria facile et certo cognoscant, sicut instinctus bestias docet, quae vitae propriae et conservationi speciei prosint. *Atqui* illae veritates, quae pertinent ad sensum naturae communem, finem vitae humanae sc. vitam futuram et media ad illum finem obtinendum, i. e. vitam honestam, quae virtutibus continetur, ostendunt. Si autem longiore et difficiliore inquisitione opus esset ad illas certo cognoscendas, vel si philosophicis rationibus illae veritates probandae essent, maxima pars hominum eas vel nunquam vel non certo cognosceret, neque finem vitae neque media ad illum necessaria, quod absurdum est. *Ergo* ratio obiectiva, cur hae veritates facilius et saepe certius, quam aliae veritates per se magis obviae cognoscantur, est divina providentia. — Neve dicas, Dei providentiam probari ex sensu naturae communi; ergo adesse petitionem principii; nam 1^o haec Dei providentia etiam aliunde probatur; 2^o qui negant Dei existentiam et providentiam sicut materialistae, saltem concedunt naturae existentiam et veritatem.¹⁾ *Atqui* haec natura verax certe non minus providet hominibus, quam bestiis. *Ergo* . . .

b) *Ex ratione subiectiva*: Illae veritates prius et melius cognosci debent, quae prius et melius nobis cognoscendae proponuntur. *Atqui* vix ullae veritates mere rationales hominibus prius proponuntur; nam iam infantibus obedientia erga parentes, civibus erga praepositos cotidie imponitur; cotidie tentationes superandae, virtus colenda, vitium fugiendum, iustitia, continentia, caritas erga proximos, timor Dei etc. aliaeque virtutes nobis exercendae sunt; deinde hae veritates plus quam ceterae nobis apparent necessariae pluresque ad eas cognoscendas rationes nobis sese quasi inculcant ac proinde et theoretice ac practice illae veritates sese nobis manifestant et menti modo indelebili imprimunt. *Ergo* etiam ratio subiectiva adest, cur ratio magis disposita sit et expedita ad has veritates cognoscendas et certo affirmandas.

c) Causa vero, cur illae veritates a plerisque obscure percipiuntur, ita ut saepe distinctam rationem reddere nequeant, est modus cognoscendi. Quum enim sint fundamentum vitae socialis, moralis, religiosae, cognoscuntur etiam primum ex illa ratione fundamentali ac proinde non ex causa sua intrinseca ontologica, sed vel ex effectu suo vel potius ex aliquo cum ipsis connexo, idque plerumque modo negativo; unde veritates illae per sensum naturae communem percipiuntur primo tantum in signo eoque

¹⁾ Feuerbach, antesignanus eorum: „Wahrheit ist das Grundgesetz d. Natur.

negativo. *Atqui* haec cognitio, ut supra ostendimus¹⁾, licet ostendat necessitatem consequentiae, non tamen aperit necessitatem consequentis in se, i. e. intrinsicam rationem conclusionis, ac proinde remanet semper aliqua obscuritas, et voluntatis determinatio requiritur ad assensum physice determinandum. *Ergo* facile ex natura cognitionis per sensum communem eius testimonii obscuritas explicatur.)

III. Testimonium sensus naturae communis certum est.

Prob. 1. Ex eius origine: Ostendimus in I^a parte, testimonium sensus naturae communis oriri ex ipsa facultate rationis naturaliter in omnibus hominibus dispositae ad illas veritates facile et certo cognoscendas. *Atqui* natura ipsa seu eius auctor non potest nos fallere²⁾; alioquin de nulla iam veritate constaret et scepticismus induceretur. *Ergo* testimonium sensus naturae communis fallere nequit.

2. *Ex natura huius testimonii:* Sensus naturae communis illas nobis tradit veritates, quae sunt fundamentum omnino necessarium vitae socialis, moralis, religiosae, et maxima pars hominum et gentium contenta esse debet hoc testimonio, quum nesciant ratiocinari. Deinde constat historiã, mala pessima irruisse um in vitam humanam tum in civitates, quae his fundamentis privabantur.³⁾ *Atqui* repugnat, vitam humanam inniti fundamentis falsis vel incertis. *Ergo* testimonium sensus naturae communis certum est (Immerito igitur Kantius in „critica rationis purae“ reicit testimonium sensus naturae communis et sibi ipsi contradicit eius necessitatem ac proinde veritatem ad vitam humanam degendam in „critica rationis practicae“ affirmans.

3. *Ex historia:* a) Constat, illas veritates debere esse certas, quae, licet ab hominibus, qui sibi videbantur sapientes, acerrime impugnarentur, nunquam tamen refutari potuerunt, immo quo magis impugnarentur, eo magis vi sua sese manifestabant. „Opinionum enim“, ait Cicero iure meritoque, „commenta delet dies, naturae iudicia confirmat“⁴⁾; et alio loco: „Veritas enim se ipsam semper defendit.“⁵⁾ *Atqui* veritates, quae pertinent ad sensum communem, saepe ab hominibus, falsa scientia inflatis, vitae tamen honestate minime praeclaris impugnabantur, nunquam tamen refutatae neque aliis certis veritatibus non conformes inveniabantur. Immo ipsi adversarii, splendore veritatis saepe devicti ad eam tandem revertentes

1) Cfr. pag. 126 sq. 2) Bene Fechner: „Soll dieselbe Natur, welche dem Hirschkäfer den richtigen Instinkt gegeben, den Menschen berücken?“

3) Cogita revolutionem gallicam. Unde recte Washington in comitiis Americanis: Religio et mores sunt fundamenta salutis publicae, quae si quis evellere conatur, non est amans patriae. Omnis homo politicus, non minus quam omnis homo honestus amat religionem, in qua salus tum familiae tum civitatis innitur. 4) Natur. Deor. II, 2. 5) Acad. II, 12.

se voci naturae et conscientiae reluctasse fatebantur¹⁾, vel misera morte perierunt. Et usque ad nostrum tempus hae veritates ab hominibus sanae mentis tanquam fundamenta vitae humanae habentur eruntque semper. *Ergo* sensus naturae communis certum exhibet testimonium.

Unde non mirum est, sapientissimum quemque et honestissimum sensus naturae communis testimonium semper magni fecisse et tanquam argumentum veritatis peremptorium habuisse. Iam antiquitus Heraclitus eum iudicem veritatis vocabat et stoici necnon schola scotica et Traditionalistae tanquam criterium veritatis statuebant.

Ita *Tertullianus*.²⁾ „Haec testimonia animae quanto vera, tanto simplicia; quanto simplicia, tanto vulgaria, quanto vulgaria, tanto communia; quanto communia, tanto naturalia; quanto naturalia, tanto divina.“ *Cicero*: „Id nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, ceteras opinionès fictas atque vanas diuturnitate extabuisse; quis enim hippocentaurum fuisse aut chimaeram putat? . . . Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.“³⁾ „Si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poëtae, si sapientissimi viri, qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt; an dum bestiae loquantur expectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus?“⁴⁾ *Seneca*⁵⁾: „Mulum dare solemus praesumptioni omnium hominum, apud nos stoicos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tanquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ullã gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos deos credat. Cum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum et timentium inferos aut colentium.“

Coroll. I. Patet igitur, veritatem aliquam, si probatur pertinere ad sensum naturae communem, e. g. Dei existentia, animae immortalitas, praemium aeternum vel poena aeterna etc., certissimam esse neque alio indigere argumento.

II. Testimonio sensus naturae communis omnis Pantheismus et Materialismus et Scepticismus destruitur; nam testimonium sensus communis est vox naturae ac proinde vera. Iam vero haec vox testatur, Deum esse, nosque ab ipso dependere; testatur, animam esse immortalem; testatur, certam existere veritatem.

Obi. 1. Philosopho spernendae sunt opiniones vulgi; — nego suppositum; nam sensus naturae communis est ipsa natura rationalis.⁶⁾

1) Seneca: „Mentiuntur qui dicunt se non sentire esse Deum; nam etsi tibi affirmant interdum, noctu tamen et soli dubitant.“ Plato de legibus lib. X: „Nullus eorum, qui illam de Diis opinionem a teneris annis susceperunt, quasi Dii non essent, ab ea aetate ad senectutem usque perseveravit.“ Cfr. Bayle apud Liberatore, l. c. p. 403; Horatius carm. I, 34. 2) Testim. animae s. Apol. 17). 3) Natura Deorum II, 2. 4) De divinat. I, 39. 5) Ep. 117.

6) Recte igitur Wundt advertit: „Man betrachte es heute als ein kind-

2. Atqui etiam sensus naturae communis testimonium reiiciendum est, cum toties fallat e. g. de cursu solis; nego suppositum; nam hoc iudicium non pertinet ad sensum communem.

3. Atqui etiam multa testimonia, quae certe pertinet ad sensum communem, sunt falsa e. g. opiniones gentium de multis diis (Polytheismus), de elysio, de tartaro, styge etc.; dist.: haec iudicia sunt falsa quoad substantiam (e. g. existentiam numinis, vitae futurae vel felicitis vel infelicitis) — nego; quoad accidentia; subd.: et hi errores sunt orti ex sensu naturae communi — nego; ex defectu hominum perverse iudicantium vel illud testimonium male interpretantium — conc. Bene de hac re Cicero¹⁾: „Multi de diis prava sentiunt; id enim vitioso more effici solet, omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur.“

4. Atqui homines etiam de substantia huius testimonii dissentiant, si quidem sunt, qui negent Dei existentiam, animae immortalitatem etc.; dist.: sunt pauci per exceptionem — conc.; exceptio autem firmat regulam; tot sunt, ut testimonium sensus naturae communis non iam sit moraliter universale — nego.

5. Atqui si sensus naturae communis idem est quod ratio et si natura disposita est ad illas veritates facilius et certius quam alias cognoscendas, non posset esse dissensus in his veritatibus, si quidem natura est eadem in omnibus et intellectus est facultas necessaria.

Resp. 1^o Retorqueo: Natura rationalis est eadem in omnibus et intellectus est facultas necessaria; ergo nullus posset esse error neque ullus in hominibus dissensus!?

2^o Dist.: non posset esse dissensus, quamdiu vocem naturae, i. e. testimonium sensus naturae communis audimus et recte interpretamur — conc.; quando illud ex mala voluntate non audimus vel ex errore, opinionibus praconceptis, perversa institutione male interpretamur — nego. Assensus enim in testimonium sensus naturae communis, quum sit liber, supponit determinationem voluntatis.

6. Atqui non potest probari, omnes gentes omni tempore sic iudicasse (Bayle); dist.: per inductionem completam — conc.; per inductionem incompletam legitimam — nego.

7. Atqui neque inductio incompleta legitima fieri potest, si quidem illa iudicia ex causis per accidens: ignorantia causarum, fraude sacerdotum, legislatorum, educatione, timore etc., orta sunt (Bayle); dist. hoc modo orta sunt — nego; confirmata sunt — conc.

8. Atqui tot sunt athei et philosophi et populi (Bayle); dist.: populi — nego; philosophi, subd.; ex errore reflexionis vel perversitate — conc.; ex naturae rationalis testimonio — nego.)

lich naives Verfahren, wenn der erstere (Sokrates) einen ethischen Begriff dadurch festzustellen sucht, dass er zunächst ermittelt, wie alle darüber denken. Und doch wird es für uns niemals eine höhere Instanz der Wahrheit geben, als eben die der Allgemeinheit. Was jedes normale Bewusstsein unter Voraussetzung der zureichenden Erkenntnisbedingungen unmittelbar als einleuchtend anerkennt, das nennen wir gewiss.“ (Ethik 1886, p. 426.)

¹⁾ Tuscul. I, 13.

Liber tertius: Criterium veritatis.

Caput I: De criterio in genere.

§ 1. Natura, existentia, conditiones criterii.

1. *Notio et existentia*: Non sufficit verum cognoscere, sed debemus etiam scire, nos certo veritatem invenisse; quare oportet existat criterium aliquod, quo verum a falso certo distinguere possimus. *Criterium igitur vocatur norma illa, qua verum a falso distinguimus et certi reddimur de veritate cognita.* Existere autem eiusmodi normam, evidens est:

a) *Ex natura cognitionis nostrae*: nam cognoscere et certo cognoscere non idem est; requiritur igitur criterium, quo certa veritas a dubio vel ab opinione distingui possit.

b) *Ex experientia*: Constat, nos semper rationes quaerere, quibus de re aliqua certi reddamur; porro nos etiam ab aliis quaerere rationes, si quid affirmant, eosque stultos haberi vel leves, qui sine ratione quidquam affirmant vel credunt. *Atqui* hae rationes nil aliud sunt nisi criterium veritatis certae. *Ergo* requiritur criterium.

(c) *Ex absurdis*: Quodsi non esset criterium, quo verum a falso distingui posset idque modo certo, vel non esset certa veritas neque rerum scientia, vel saltem verum a dubio distingui non posset; esset igitur scepticismus universalis admittendus. *Atqui* haec omnia repugnant et conscientiae nostrae et persuasioni hominum. *Ergo* criterium veritatis est statuendum.

2. *Natura criterii*: Hoc autem criterium non est nova veritas, realiter distincta a veritate, de qua nos certos reddit; quodsi statueretur, novae illius veritatis, quae continet criterium, aut iterum requireretur criterium aliud, ut possimus esse certi, aut in se ipsa haberet criterium. Si *primum*, eundem esset in infinitum, quod repugnat et destrueret omnem certitudinem. Sin *alterum*, nulla est ratio, cur non etiam prima veritas, de cuius criterio agitur, illud realiter in se continere possit. *Ergo* criterium non est veritas realiter distincta ab illa, quam afficit, sive norma extrinseca, sicut metrum extensioni adhibetur, sed solum virtualiter, i. e. sola mentis distinctione differt ipsique veritati cognitae est intrinsecum; ac proinde criterium nil est aliud nisi conditio quaedam vel modus ipsius veritatis, quo se ipsam nobis ut certam manifestat; et est ipsum *motivum certitudinis*.

3. *Relatio criterii ad fontes veritatis*: Quum criterium sit norma distinguendi inter verum et falsum simulque motivum certitudinis,